



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XIV. Vtrum ad amandum Deum, vt supernaturalem finem, & gratiæ
authorem perfecta dilectione amicitiae, auxilium gratiæ per se, & propter
speciem, & excellentiam talis amoris, sit necessarium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

dare facultatem, & facilitatem operandi posteriorē actum, nisi eam ad priorem conferat, & e conuerso dando facultatem ad actum priorem, qui est radix alterius, cōsequenter illam ad actum cōsequenter praeberet. Et hinc etiam est, vt species etiam gaudeamus, quia hoc gaudium ex spe nascitur, vt supra dictum est cum D. Th. dist. q. 28. ar. 1. ad 3. Ex quo loco optimē colligitur nostra sententia: nam sine dubio eadem est ratio in amore, quā est in gaudio. Potestq; confirmari ex alijs, quā in citato loco 3. part. adduxi.

25. *Solutio* Neq; contra hoc obstant rationes in principio positae. Ad primam n. respondetur, licet amor, & spes sint actus specie distincti, esse ita subordinatos inter se in ordine ad idem formale obiectum, vt ad eundem habitum pertineant, sicut de amore, & gaudio constat. Ad secundam respondetur primò, esto in actu amoris non sit omnis difficultas, quā est in actu spei, nihilominus reperiri difficultatem, quā nascitur ex supernaturalitate actus, quā sufficit, vt ad illum sit necessaria virtus infusa, & aliudē conuenire cum spe in habitudine ad idem bonum sub eadem ratione boni, & hoc satis esse, vt ad eundem habitum pertineant; licet in modo tendendi differant. Secundo addimus, difficultatem illam, quā in spe cernitur ex eo, quod sperat bonum per auxilium Dei, suo etiā modo participari ab amore concupiscentiā, quia tēdit in illud bonum, vt sibi possibile, alioqui non posset esse amor efficax, & perfectus: non potest autem bonum illud rectē existimari possibile, nisi in ordine ad potētiam, & beneuolentiam Dei. Ad tertiam dico, habitum spei non manere in patria formaliter sub ratione spei, id est, vt sit principium sperandi beatitudinem possēsā, manere autem vt sit principium amandi hoc amore, & fruendi gaudio illi proportionato: nam hi actus honestissimi sunt, & illi statui nō repugnant, & principium connaturale postulant. Ad quartā, quod spes amitteretur per odium vel nolitionem beatitudinis, primò negari potest sequela, quia nō est necesse, spem amitti per quemlibet actum contrarium; non enim destruitur per praeuentionem. Secundo verò dico, satis probabile esse, per tale odium, vel nolitionem beatitudinis fore spem destruentiā, quia & hominem reddit incapax ad sperandum, & virtute includit desperationē, aut vix potest ab illa separari, quia per illud odium voluntas totaliter recedit à Deo, vt sibi bono, & cōsequenter desperat rendere in ipsum. Sed hoc in propria materia ex professo tractandum est: nam in praesenti parum refert, quod ille habitus, qui est spes, per hunc, vel illum actum amittatur.

CAPVT XIV.

Vtrum ad amandum Deum, vt supernaturalem finem, & gratie auctorem perfecta dilectione amictia, auxilium gratie per se, & propter speciem, & excellentiam talis amoris sit necessarium?

1. *Quaestio* Vamuis resolutio huius quaestionis ex dictis in praecedenti clara videatur, nihilominus ad complementum materiae tractanda est, & vt nonnulla ratio dubitandi, quā adhuc superest, dissoluatur. Est autem difficultas, quia supra dictum est, posse hominem viribus naturae non impediri, seu non lapsae diligere Deum auctorem naturae amore amicitiae, seu volendo illi summam bonitatem propter ipsum, ergo etiam vt author gratiae potest sic amari per easdē naturae vires, per se loquendo, & quantum est ex natura talis actus. Probatur consequentia, primò, quia obiectum, quod magis bonum representatur, eò magis attrahit voluntatem, & consequenter facilius amatur: Deus autem vt author gratiae, vel non sub minori ratione boni proponitur, vel certè quodammodo sub maiori, nostro modo apprehendendi, quia eius bonitas proponitur vt pluribus, & maioribus beneficijs manifestata, quā dum apprehenditur solum, vt author naturae; ergo voluntas facilius poterit illum

naturaliter diligere propter se ipsum sub illa excellēti ratione propositum, quā inferiori. Secundo, quia motuum amandi Deum vno, vel alio modo representatum, idem reuera est, & modi illi sunt accidentarij respectu substantiae amoris, ergo amores etiam erunt eiusdem naturae, & substantiae; ergo si vnus est naturalis, etiam alter. Tertiò potest hoc declarari, quia videns Deum clarè, etiam illi denegetur auxilium ad amandum illum supernaturaliter, si detur ei generalis concursus, diligit Deum amore naturali propter bonitatem ipsius, prout in se est; quia ita illū videt; ergo amabit ex eodem motiuo, ex quo diligeret cum auxilio supernaturali; ergo eodem actu secundum substantiam; ergo per se ad talem actum nō est necessarium gratiae auxilium. Vnde oritur ista difficultas, quia si ad talem amorem esset necessarium auxilium gratiae propter motiuū, sub quo obiectum amatur, ad quemlibet actum charitatis, quamuis imperfectum, esset gratia necessaria: consequens est falsum, quia talis amor esse potest in peccatore, & magna facilitate concipitur; ergo.

Nihilominus veritas catholica in primis est, non posse hominem lapsū diligere super omnia Deum auctorem gratiae, & salutis amore amicitiae, & propter se ipsum, sine supernaturali auxilio gratiae. Probat, quia talis amor est illius charitatis, de qua dixit Paulus Rom. 5. Diffundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & ad Galat. 5. In Christo Iesu neq; circumcisi aliquid valet, neq; praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur. Et infra inter fructus Spiritus primum locū tribuit charitati, dicens: Fructus autem Spiritus est charitas, de quo fructu intelligitur maximè illa Christi sententia Ioan. 15. Sicut palmas non potest ferre fructum, & semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Quamquam enim nomine fructuum rectè ibi intelligantur opera Deo placita, & ipsum meritoria, vt Augustinus ibi tract. 81. Chrysostom. Hom. 75. & Cyrill. lib. 10. cap. 14. notarunt. Tamen quia inter opera, quae ex fide procedunt, excellentius est charitas, iuxta illud 1. Corinth. 12. Excellentiorē viam vobis demonstrā, idē ille fructus, de quo loquitur Christus, maximè intelligitur, esse charitas, sine qua cetera nullius fructus esse possunt, & quae est radix omnium bonorum fructuum, & maior ceteris, & teste eodem Paulo 1. Corinth. 12. vt rectè ponderauit Augustinus tract. 32. in Ioan. in fine. Denique ob hanc causam dixit Ioannes 1. epistol. cap. 4. charitatem esse ex Deo, vt egregiè ponderat August. lib. 1. de Gratia Christi cap. 21.

Habetur etiam hae veritas ex traditione Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Ex Pontificibus praecipui sunt Innocent. & Coelestinus in epistolis saepe allegatis, praeter illa, quae generatim contra Pelagianos ex alijs Pontificibus Prolegom. 6. c. 1. retulimus. Ex Concilijs, Mileuitan. cap. 4. sic inquit: Cum dicat Apostolus, sententia inflat, charitas verò adspicit, valde impium est, vt credamus ad eam, quae inflat, nos habere gratia Christi, & ad eam, quae adspicit, non habere. Cum vtrumque sit Dei donum, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus, vt adspiciant charitate, sententia non possit inflare. Quae sententia sumpta videtur ex Augustino libro de Gratia Christi cap. 26. & libr. 4. contra duas epist. Pelagianor. cap. 5. Concilium etiam Araucanum in omnibus ferè suis decretis hanc veritatem in generalibus definitionibus tradit, specialiter verò in cap. 25. ex quo aliqua verba in sequenti capite ponderabimus. Expressius verò, quā cetera, Concilium Tridentin. sess. 6. cap. 3. definiuit, neminem posse diligere Deum, sicut oportet, sine praeuentione Spiritus sancti in inspiratione, eiusque adiutorio: nullus enim amor esse potest, sicut oportet, quā ille, qui tendit in Deum, vt supernaturalis beatitudinis obiectum, propter se ipsum, & perfectè, ac super omnia. Ex Patribus autem praecipuè videndus est Augustinus in locis allegatis, & alijs generaliter allatis in lib. 1. pro necessitate gratiae ad bene operandū: nam in eis omnibus

nibus præcipue loquitur de charitate, imò ab illa ceteris mereri omnia opera honesta nomen bonorum operum in sensu ibidem explicato. Et simili modo dicitur lib. 2. de Ciuit. cap. 16. tunc vitia verè vincuntur, cum Dei amore vincuntur. Quem (ait) nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei, & hominum, hominem Iesum Christum. Enita ubiq; cōstanter docet, charitatem esse in nobis donum supernaturaliter infusum. Et hinc tandem celebrem illam sententiam protulit in epist. 107. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, quia nimirum, illud donum amilimus, quo Deum, sicut oportet, diligere poteramus, & auxilio necessario ad diligendum indigni facti sumus.

4.
Probatur 2.
rationib.
1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

5.
Vtrum gratia sit necessaria ad hunc actum, eo quod in specie sit supernaturalis?
1. opin. negat.

6.
Assertio 2.
affirmans.

Probatur ratione, & auctoritate.

Rationes ex generalibus principiis facile sumi possunt, & ad charitatem à fortiori applicari, quia dilectio præminet, teste Paulo 1. ad Corinth. 13. Si ergo ad fidem, & ad voluntatem credendi, & ad spem, & ad amorem concupiscentiæ est necessaria gratia, multò magis ad diligendum ex charitate perfecta. Secundò, quia ad opera pietatis est necessaria gratia; at dilectio Dei, vt finis supernaturalis, est magnum pietatis opus. Vnde August. dixit epist. 29. Deum maximè coli charitate, & tract. 102. in Ioan. in fine, Amorem (inquit) pium, quo colimus Deum, fecit Deus, quia bonum est, idò amant ipse, quod fecit. Tertiò, quia ad implendam totam legem necessaria est gratia, vt supra ostensum est; dilectio autem est plenitudo legis Rom. 13. Et similiter applicari possunt rationes de necessitate orationis ad diligendum, sicut oportet, & de gratiarum actione pro tali dilectione, & similes, quæ non ostendunt propriam rationem gratiæ ad actum requisitæ, nec modum supernaturalitatis eius, sed communem quandam necessitatem, quæ in naturalem etiam Dei amorem cadit, vt supra vidimus.

Vt ergo propriam rationem, & radicem huius necessitatis explicemus, inquirendum superest de hoc actu, an gratia sit ad illum necessaria ob substantiam eius, vel ratione alicuius modi supernaturalis, & consequenter an sit per se necessaria ob naturam talis actus, vel quasi per accidens ob talem statum, vel conditionem personæ operantis. Nam antiqui Theologi, qui de fide, & spe sentiunt, non esse actus supernaturales in substantia, ita sentiunt in 1. d. 17. Scot. Durand. Palud. & Capreol. q. 1. artic. 3. ad argum. Aureoli contra primam conclus. & ad argumenta Gregorij contra secundam. Idem habet Palud. in 3. d. 23. q. 3. in fine. Maior dicta d. 26. q. 3. aliàs 2. Gab. dist. 27. q. vnic. art. 3. dub. 2. & ibid. Almain. q. 1. & tract. 2. Moral. c. 9. Adam. in 1. d. 1. q. 10. ad 1. contra 1. concl. Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 4. q. 1. & 2. q. 17. art. 2. ad 3. & Soto in 4. d. 17. q. 1. art. 5. & lib. 1. de Natur. & grat. c. 22. & lib. 2. cap. 14. & 16. Qui non afferunt noua fundamenta pro hoc actu, & omnia reducuntur ad ea, quæ in principio posita sunt, & quæ in cap. 4. iam sunt soluta. Modi etiam explicandi supernaturalitatem huius actus iidem sunt, qui superius etiam sunt tractati. Nam Scotus illam ponit in intensione, quem imitatur Palud. Alij verò frequentius ponunt illam in ratione meriti, & acceptabilitate, vel acceptatione, vt Durandus, Gabriel, & Caietanus.

Nihilominus omninò dicendum secundò est, auxilium gratiæ esse necessarium ad hunc actum amoris per se, & ex natura talis actus, quia nimirum, in essentia, & specie sua supernaturalis est. Hæc est sententia D. Thomæ, & omnium auctorum, quos pro nostra sententia cap. 4. allegaui, & eisdem rationibus probanda est, nihil enim addendum hic occurrit. Nam à fortiori sequitur hæc assertio ex præcedentibus. Nam perfectior est actus charitatis Dei, quàm spei, vel fidei; ergo si illi ratione suarum specierum sunt supernaturales, multò magis charitatis. Declaratur præterea auctoritate Patrū, & ratione à posteriori inde sumpta: nam hic actus supernaturalis est, etiam in Angelis, vt expressè testatur August. lib. 12. de Ciuit. cap. 9.

dicens, Deum Angelos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhererent, creasse, simul in eis, & cordens naturam, & largiens gratiam. Et Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. aliàs 25. de Lucifero exponit verba illa Ezech. 28. Foramina sua in die, quæ creatus ei preparata sunt, dicens: Huius lapidis in die conditionis sue foramina preparata sunt, quia videlicet, capax charitatis conditus est. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbisset sanctus Angelus societati in ornamento regio lapidis fixus maneret. Et intra eadem Lucifero applicans verba illa: In medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti, addit: Quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarius gloria conditionis extitit. Idem sentiunt omnes Patres, qui docet Angelos per Spiritum S. fuisse in sua conditione sanctificatos: nam sanctificatio per dilectionem maximè fit. Simili mò hic actus supernaturalis fuit in homine in natura integra, & ad illum gratia indiguit: nã etiam ille sanctificatus fuit per gratiã, ac proinde per charitatem etiam supernaturalem, vt supra Proleg. 4. ostendimus. Deniq; etiam in beatitudine est actus omninò supernaturalis, & connaturalis visioni, vt nunc suppono. Ergo signum euidentius est, hunc actum non esse supra vires naturæ propter rebellionem concupiscentiæ, aut propter alias difficultates amoris Dei repugnantes in natura lapsa, sed quia ex natura sua excedit vires creatæ voluntatis.

Consequentia quidem per se satis apparet euidentius. Potest autem euidentior fieri discursu supra factò, qui non minis in hoc actu, quàm in actu fidei conuincit non posse assignari modum accidentalem, per quem in esse supernaturalis constituitur, ideoque necessariò iudicandum esse talem ex vi suæ substantiæ. Antecedens patebit facile applicando inductionem supra factam, quia ille modus non potest esse dependentia tantum in fieri ab auxilio supernaturali, seu gratiæ, quia si hæc dependentia est connaturalis actui, id est, ob perfectionem talis actus necessaria, hoc ipsum indicat in ipso actu entitatem supernaturalem: si verò est extraordinaria, & præter naturam talis actus, vel erit necessaria solum per accidens propter extrinsecam impedimentum, qualia in solo homine non integro reperiuntur, vel est gratis, & sine fundamento constitutus talis modus auxilij, vel productionis: multoq; minus dici potest, tale auxilium esse simpliciter necessarium ad talem actum ex defectu virium liberi arbitrij. Nec etiã potest ille modus esse extrinsecus, seu per extrinsecam denominationem, nec consistere in tali esse meriti, quod non fundetur in nobilitate ipsius actus, neq; in aliqua specie bonitatis moralis accidentaria, & extrinsecæ. Maximè cum hic actus charitatis inter omnes per se, & essentialiter sit moraliter bonus, id est, honestissimus ex vi sui obiecti, id est, quod si propter talem bonitatem supernaturalis est, per suam vtiq; substantiam, & essentialem speciem est supernaturalis. Neq; etiã potest ille modus esse intrinsecus, & phycus, seu realis, simulq; accidentalis ipsi actui: nam hic nullus est in actu, nisi intensio, & hæc nec per se est necessaria in aliquo certo gradu ad verum actum charitatis: nec est alterius ordinis à substantia ipsius actus, ergo non per modum accidentalem, sed per substantiam suam est talis actus supernaturalis.

Dicunt verò aliqui, hunc amorem benevolentie Dei esse supernaturalem ex modo, quia scilicet, ita tendit in Deum, vt sistat in ipso, volendo illi bonum propter se, quod putant esse supra conditionem naturæ. Sed hoc in superiori libro improbatum est, & licet esset verum, iam ille modus esset substantialis, pertineretque ad differentiam specificam, & essentialem constituentem talem actum in sua substantia, & distinguendum illum ab amore concupiscentiæ eiusdem obiecti, & ita non esset contra præsentem assertionem. Nam & nos farebimur, illum modum esse essentialem tali actui, non verò esse specificum, sed genericum, vel communem, quia conuenit omni amoris benevolentie Dei, qui tamen etiam potest esse naturalis, vt supra proba-

probauius. Alij denique aiunt hunc actum esse supernaturalem ex modo, quia est super omnia. Idem vero cum proportionem respondendum est. Nam hic modus *super omnia*, accidentaliter esse potest, & essentialiter, & priori modo non est supernaturalis, sed tantum posteriori modo, & ita non est extra substantiam.

Potest enim quis diligere aliquid non ex vi motiui, aut rationis diligendi, sed solum quia ex libertate sua vult adherere huic rei potius, quam alijs, & sic homo potest se *super omnia* diligere, vel aliam creaturam, & ille modus est accidentaliter, nam solum consistit in maiori adhesionem ex parte operantis, seu in terminatione ad obiectum cum comparatione formalis, vel virtuali ad aliud, non ex vi obiecti, sed ex vi liberæ affectionis. Alio autem modo potest amor esse *super omnia* ex vi motiui, & excellentiæ obiecti, & rationis diligendi illud, & sic est *super omnia* absolutus, & efficax amor charitatis Dei, idq; habet ex vi sue perfectionis essentialis. Veruntamen hic etiam modus non est specificus: nam conuenire potest amori naturali intra suam latitudinem. Quia vero, vt supra dixi, illa perfectio conuenit naturali amori limitati, & secundum quid, ideo ille modus vt conuenit amori charitatis, est simpliciter talis, & sic est supernaturalis, & intime, ac essentialiter illi conueniens. Quod à posteriori declaratur, quia ex vi sua, virtute includit obseruantiam omnium præceptorum, non tantum naturalium, sed etiam supernaturalium, & non tantum virtutum moralium, sed etiam aliarum Theologicalium, quas propterea charitas suo modo perficit, voluntas autem absoluta implendi omnia talia præcepta supernaturalis est, non solum propter impedimenta naturæ lapsæ, sed per se, quia impletio talium præceptorum supernaturalium excedit vires liberi arbitrij, non solum quoad collectionem, sed etiam quoad singula, ergo.

Vltimo addenda est ratio à priori, quæ sumenda est, vt supra dixi, ex motiuo, & obiecto formali diligendi, simulq; soluenda est præcipua difficultas, propter quam hoc dubium motum est. Quæ consistit in distinguendis motibus amoris naturalis, & supernaturalis Dei propter seipsum, & ex sola amicitia, seu beneuolentia Dei, & multi tam difficile, aut impossibile reputant, vt propterea quidam eorum negent, dari aliquam naturalem dilectionem Dei ex pura beneuolentia. Alij vero concedentes illam, negent, posse distinguere specie ab amore charitatis. Alij deniq; distinctionem admittentes, negant illam sumendam esse ex obiectis, seu motibus diligendi, sed ex principijs, vel ex sola entitatis varia perfectione. Quas opiniones iam improbauius, primam in precedenti libro, secundam in hoc capite, tertiam vero in c. 6. nã ibi dicta de fide, ad amorē facile applicantur. Quia si voluntas potest viribus suis, seclusis impedimentis diligere Deū ex eodem motiuo, quo charitas illū amat, in natura integra, & in Angelo fuisset ille amor: hoc autem incredibile est, multumq; repugnat doctrinæ Concilij & Patrum, tum quia ille amor, qualiscumq; esset in entitate, esset *super omnia*, & esset absolutus, & efficax, & perfecte vniret amantem amato, quantum ad effectum; ergo esset opus pietatis: nam totam animam ad Deum, vt supernaturalem finem conuerteret: hæc autem concedere libero arbitrio creato suis viribus, & in quocumq; statu, nimium est, & sententijs Patrum, & Conciliorum, imo & Scripturarum plane contrarium, vt ex hic allegatis, & ex dictis in libro superiori de necessitate gratiæ ad opera pietatis satis constat, & in sequenti cap. aliqua addemus. Præterquam q; vt supra argumentabar, si talis amor est in potestate nudi liberi arbitrij, quomodo non est in eius potestate se disponere ad remissionem peccati, etiam vt est contra Deum supernaturalem finem? vel ad quid postulatur actus melioris entitatis, cum ad omnes effectus morales ille sufficiat, vt alia, quæ supra dixi, nunc mittam.

Pars I.

Alij ergo, vt hanc distinctionem ex obiectis assignent, dicunt, amorem naturalem tendere in Deum vt cognitum per rationem naturalem, charitatē vero tendere in ipsum vt cognitum per fidē. Ita insinuat Alenf. 2. p. q. 91. art. 1. ad 7. Hæc autem differentia per se sola non sufficit, nisi aliquid addatur ex parte obiecti ad diligendum propositi, vel rationis formalis hanc distinguendi illud. Nam cognitio per se tantum est conditio requisita in obiecto, vt possit mouere affectum, quia per cognitionem applicatur. Vnde sola diuersitas cognitionis, si aliqui obiectum propositum idem omnino sit, & sub eadem ratione diligendum proponatur, non sufficit ad distinguendos actus voluntatis, quæ applicatio obiecti solum per accidens concurrat ad amorem: ergo distinctio illius non potest efficere diuersitatem in actibus amoris. Sicut actus amoris Dei in via, & in patria eiusdem rationis est, etiam si per cognitiones specie diuersas applicetur. Et confirmatur, quia circa Deum consideratum per fidem solū vt creatorem, potest voluntas operari solo affectu naturali, eum diligendo, vel colendo, quia illud bonum cognitū naturale est, & modus cognitionis supernaturalis non potest naturam impedire, quominus in suum obiectum feratur, prætermisso modo cognitionis, circa quem nullo modo versatur.

Respondent vero aliqui, ex illis diuersis cognitionibus resultare in obiecto diuersas rationes formales, sub quibus terminet duos amores distinctos, naturalem, & supernaturalem: etiam si eadem res, & ex eodem motiuo bonitatis amanda proponatur. Nati idem bonū illis diuersis modis propositū est aptum terminare diuersos amores, hæc autem aptitudo ad terminandum actum, est ratio sub qua obiectū terminat actum: in eodem autem Deo summe bono, vt representato per fidem, alia est aptitudo ad terminandum amorem, ab ea, quæ in eodē Deo vt cognito per naturale lumen est, ad terminandum proportionatum amorem. Quia etiam è conuerso amor supernaturalis natura sua ex propria ratione exigit cognitionem supernaturalem, & per inferiorem non excitatur, è conuerso vero amor naturalis contentus est cognitione naturali, cui commensuratur.

Sed hoc etiam non satis rem declarat. Nam eadem est in obiecto bono aptitudo ad terminandum affectum, quæ est ad mouendum, & attrahendum illum: fertur enim affectus in eam obiecti bonitatem, quæ ipsum mouet: sed aptitudo ad mouendum affectum non est bonitas sic, vel sic cognita, sed est bonitas ipsa prout in se talis, vel talis est: ergo eadem est aptitudo ex parte obiecti ad terminandum amorem, ac subinde vbi fuerit eadē ratio motiua obiecti amabilis, etiam erit vnica aptitudo ad terminandum amorē. Vnde fit, vt si in Deo cognito per fidem, vel rationem non distinguatur duplex ratio motiua ad sui amorē, non possint etiam recte distinguere aptitudines ad terminandum amorem. Et ita in obiecto amabili ratio sub qua quæ, non est alia à ratione motiua, propter quā proximè, & ad equatè obiectum amatur, vel amari potest. Neq; obstat, quod amor supernaturalis natura sua postulet præuiam cognitionē supernaturalem, quia hæc in primis postulatur, vt sit proportio connaturalis inter actus, & principia eorum, nō vero vt inde sumenda sit species vel genus amoris. Deinde per se requiritur supernaturalis cognitio, vt in obiecto possit ostendere aliquā superiorem rationem diligendi, quam ratio naturalis nō assequitur. Nihilominus tamen quia fides etiam naturalia motiua contenta plari potest, non repugnabit, ex illis moueri naturalem affectū, etiam si per considerentur. Confirmatur, quia alijs simili modo amor naturalis Dei, vt cogniti per scientiam, vel per fidem, ac traditionem humanam, posset specie distingui, si dicatur, Deum vt cognitum per scientiam, vel per fidem habere diuersas aptitudines ad terminandum amorem, quæ sufficiunt ad diuersas rationes, sub quibus obiectum illud terminatur.

Mm minaf

minat amores: hoc autem non est verisimile, quia illa diuersitas cognitionis est valde accidentaria ad amores. Et alia multa similia facile inferri possunt, si modus ille distinguendi affectus admittatur.

14.
Secundus
libro Alen-
sis.

Addunt ergo alij, & indicat Alensis supra, ideo dilectionem, quæ sequitur fidem, & quæ habetur ex cognitione naturali, esse diuersas, quia hæc tendit in Deum vt vnum, illa vero vt Trinum, & vnum. Quod si obijciatur, ad amorem accidentarium esse, quod Deus consideretur tantum vt vnus, vel etiam vt trinus, quia semper amatur ratione suæ bonitatis, quæ semper est vna, & illi conuenit per se, vt est vnus. Respondetur, eandem bonitatem apprehensam vt communicabilem realiter tribus personis, sub quadam eminētiore ratione bonitatis apprehēdi, quam si vt limitata ad vnam personam apprehendatur: ideoq; excellentiori modo amari priori modo spectatam, quam posteriori. Sed nihilominus non potest esse hæc propria, & adæquata ratio distinguendi hos amores, quia priusquam Trinitatis mysterium communi fidelium plebi communicaretur, seu reuelaretur, omnes iusti diligebant Deum vero actu charitatis, qui tamen communiter non apprehendebant Dei bonitatem, vt communicabilem tribus personis. Et nunc etiam si simplex fidelis non habeat explicitam cognitionem Trinitatis per ignorantiam inuincibilem, poterit Deum ex infusa charitate diligere.

Impugna-
tio. 1.

15.
Impugna-
tio. 2.

Præterea hic etiam, qui Trinitatem norunt, & habitu credunt, possunt ex sola consideratione Dei, vt est vnus, eum ex charitate super omnia diligere: ergo non potest illa esse adæquata ratio obiectiua illius amoris. Imo nec sufficiens videtur, quia hæreticus alias credens, Deum esse trinum, & vnum, potest illum diligere amore naturali, & non charitatis. Verum est tamen, non diligere illum super omnia, neq; propter singularem illam excellentiam, & ideo quoad hanc posteriorem partem defendi posset, bonitatem Dei spectatam cum illa excellentia, quæ est communis realiter tribus personis, & quatenus mouet ad amandum propter se non solum Deum, vt Deus est, sed etiam Patrem, vt Pater est, & secundū propriam, & personalem perfectionem eius, & similiter Filium, & Spiritum Sanctum, illam (inquam) bonitatem, si pure, & cū debita proportionem ametur, propter talem bonitatis excellentiam, non posse actu naturali amari, ac proinde esse sufficientem rationem specificandi amorem per se infusum, & supernaturalem. Nihilominus tamen quoad priorem partem ratio facta concludit, non esse necessariam considerationem hanc illius bonitatis ad amorem supernaturalem: poterit tamen fortasse cum aliqua proportionem, vt iam explicabo, applicari.

16.
Vera, & co-
munis ratio
huius distin-
ctionis.

Dicitur ergo aliter, per fidem cognosci Deum, vt maiorem benefactorem nostrum, quam per solam rationem naturalem, quia per fidem plura beneficia cognoscimus nobis à Deo prouenire, quam per lumen naturale, & inde diuersum amorem erga Deum oriri. Neque multum ab hac ratione discrepat communis modus distinguendi Deum vt finem naturalem, vel supernaturalem, seu vt autorem naturæ, vel gratiæ: & quod sub his rationibus diligatur amore naturali, vel infuso, qui ex illis rationibus sufficenter distinguuntur specie, quia licet bonitas Dei in se sit eadem, apprehenditur sub diuersis titulis, seu gradibus bonitatis, & sub communicationibus diuersarum rationum, quas nobiscum habet in bonis suis, quæ communicationes solent esse sufficientes ad distinguendas amicitias. Quam rationem distinguendi hos amores, & eorum obiecta videntur sequuti antiqui authores, licet varijs modis, aut verbis illas explicent. Nā D. Th. 1. 2. q. 109. art. 3. ad 1. sic inquit: *Charitas diligit Deum super omnia eminentius, quā natura. Natura enim diligit Deum super omnia, prout est principium, & finis naturalis boni, charitas autem secundum quod est ob-*

iectum beatitudinis, & secundum quod homo habet spiritum lem quandam societatem cum Deo. Et idem in substantia dicit. 2. 2. q. 23. art. 4. vbi Caiet. id explicat, & Capreol. in 3. d. 27. q. 1. concl. 2. & in illius definitione alia loca, & testimonia D. Thomæ congerit, & Hispal. ibi q. 11. art. 3. Eandem doctrinam tradiderunt Alti. 1. 2. lib. 2. tract. 1. c. 4. licet aliter explicet, dicens, amorem Dei esse naturalem, quando excitatur ex effectibus Dei naturalibus: gratiū vero, quando per altiora media bonitas Dei repræsentatur. Idem fere, licet magis explicatum, habet Alens. 2. p. quæst. 31. memb. 3. & in idem redeunt, quæ latius docet q. 91. memb. 1. ar. 1. & optime Richard. 2. d. 3. art. 7. q. 1. ad 1.

Sed contra hunc modum explicandi obiectū formale charitatis argumentatur in primis Scot. in 3. d. 27. s. Contra primam. Quia amare Deum vt obiectum beatificum, est amare Deum non propter se, sed ipsi amanti, ergo vt sic est obiectum amoris concupiscentiæ, non charitatis. Antecedens patet, quia cum dicitur Deus vt obiectum beatificum, non additur Deo, nisi respectus ad nos, quatenus potest nos tam excellenti modo beatificare, quod pertinet ad bonum nostrum & consequenter ad amorem concupiscentiæ. Eademq; obiectio fieri potest, si distinguatur Deus, vt finis naturalis, vel supernaturalis, quia idem est, esse obiectum beatificum, quod esse finem supernaturalem. Item si distinguatur vt author gratiæ, vel naturæ, quia secundum hos etiam respectus consideratur vt bonum nostrum. Deniq; idem est, si consideretur per respectum ad hæc, vel illa beneficia, vel hanc, aut illam bonorum communicationem. Nam si amatur Deus in ordine ad talia beneficia, est amor concupiscentiæ, si vero propter talia beneficia iam accepta, erit amor gratitudinis. Amor autem amicitie, seu charitatis abstrahit à beneficijs, & fertur in Deum propter se: ergo respectu huius amoris nihil refert, quod cognoscatur Deus, vt conferens hæc, vel illa beneficia, nec quod per hæc, vel illa media cognoscatur, quia semper est eadem bonitas, quæ per illa media cognoscitur, & à qua omnia illa beneficia proueniunt, quæ bonitas propter se placet, & amatur.

Respondetur nihilominus, sensum illorum verborum D. Thomæ, & aliorum authorum non esse, per charitatem amari Deum vt obiectum beatificum, sed formaliter, id est, sub illo respectu, & motiuo, vt nos beatificet, nec amari vt autorem gratiæ, quia amatur, vt nobis conferat gratiam, cōtra quem sensum obiectio Scoti procedit. Sed sensus est, bonitatem Dei spectatam vt supernaturaliter communicabilem hominibus per gratiam, & per gloriam sub quadam excellentiori ratione bonitatis apprehēdi, quæ ad amorem sui, & propter se, ac super omnia mouet, qui amor inde habet speciem excellentioris ordinis, ac vires naturæ superantis. Et sic etiam, quo Deus nobis altiora beneficia contulit, eo bonitas eius mirabilior, & quodammodo maior nostro concipiendi modo apparet, ac proinde diligibilior, seu altiori modo diligibilis, non quia propter beneficia diligatur, sed quia per beneficia manifestatur ipsa absoluta Dei bonitas, vt altior, & potentior. Et licet etiam specialiter ex beneficio incarnationis eadē Dei bonitas excellentius innotuit, & singulariter communicabilis apparuit, vt proinde tanquam excedens ordinem naturæ merito concipiatur. Hæc ergo diuersitas sufficit, vt Dei bonitas licet in se vna, & simplicissima sit, sub ratione duplicis motiui distinguatur, q̄ ad amorem supernaturalem à naturali distinguendū sufficiat.

Quod etiam potest in hunc modum explicari ex D. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. ad 4. & Richardo loco allegato: nam bonitas Dei præcise spectata, vt authoris naturæ, habet cum natura vinculum quoddam naturale, & quasi necessariā connexionē, ratione essentialis dependentiæ, quā habet natura à Deo autore suo, tū in ratione primi principij, tū in ratione vltimi finis.

finis proportionati natura. Et ideo bonitas Dei sic considerata, licet alioquin in se sit infinita, & longe altioris ordinis ab omni creata natura, nihilominus in ratione obiecti, est naturalis ratio amandi, & Deus ipse est obiectum naturale, quia naturali impetu tendit voluntas in Deum sic spectatum. At vero eadem Dei bonitas spectata, vt comunicabilis per gratiam, & Deus ipse vt author gratiæ, & supernaturaliū donorum, non habet naturale vinculum cum rationali natura, quia natura vt sit, & omnem naturalem perfectionem habeat, non pendet à Deo, vt authore gratiæ. Nam si per impossibile Deus non posset naturam supernaturaliter perficere, sufficienter posset natura ab illo essentialiter pendere, sicut illi Philosophi cogitauerunt. Et hinc fit, vt natura non feratur naturali pondere in Deum sub illa altiori ratione cogitatum, ac proinde nō diligat illum amore naturali, sed altiori. Et ita responsum est ad Scoti obiectionem, & ad omnia, quæ in illa addebantur, procedunt enim ex sola verborum æquiuocatione, vt late notauit Capreol. loco allegato.

20. Hinc etiam facile patet responso ad rationem dubitandi in principio propositam, quæuis enim possit Deus per se diligere aliquo amore naturali, nō inde fit, sub quacumq; ratione posse similitur naturali amore diligere. Et ad primam probationem in contrarium factam, quod voluntas eo vehementer fertur in bonum, quo maius, & excellentius ei proponitur. Respondemus hoc esse verum intra latitudinem obiecti proportionati, & habentis naturale aliquod vinculum cum ipsa natura. Quod necessarium est, præsertim in amore absoluto, & beneuolentiæ alterius, & maxime si sit super omnia. Quia licet sit amor alterius propter ipsum, debet fundari in aliqua vnitate cum amante, non tanquam in ratione amandi, sed tanquam in conditione, & dispositione necessario prærequisita ex parte amantis ad omnem amorem, vt docet D. Th. 1. p. q. 60. art. 2. Constat enim ad illud Arist. 8. Ethicor. cap. 2. *Amabile bonum, vnicuique autem proprium*, cuius sensus, vt supra dixi, non est, omne bonum naturaliter amari, vt bonum diligentis, alioquin destrueretur naturalis amor amicitie simpliciter, quod est contra ipsum Aristot. Sed sensus est, neminem velle bonum, nisi, vel sibi, vel ei, quem vnuscumque aliquo modo recognoscit. Et inde etiam fit, vt iuxta varias rationes vnitatis, vel societatis, seu coniunctionis, diuersi etiam sint amores, vt luculenter exposuit D. Tho. 2. de Virtutib. seu vnic. de Charit. art. 2. & ideo ex diuersa vnione, quam habet nostra natura cum Deo ratione solius dependentiæ naturalis, vel ratione communicationis in gratia, & beatitudine supernaturali, optime colliguntur diuersæ species amicitie, & dilectionis ad Deum, non tanquam ex formali distinctiōe, sicut enim sumitur distinctiō ex obiecto, modo declarato, sed tanquam ex fundamento, vel conditione ad amorem amicitie necessaria. Quia non potest natura se extendere suis viribus ad diligendum sine fundamento alicuius coniunctionis, vel dependentiæ naturalis, & e contrario vbi fundamentum vnitatis est diuersi ordinis, etiam amor est diuersus, sicut in simili tradit de Virtutibus politicis Arist. 3. Polit. cap. 3.

21. Ad secundam probationem satis responsum, ac declaratum est, quomodo eadem bonitas sub diuersis rationibus concepta esse possit motum multiplex, & sufficiens ad distinguendum amorem infusum à naturali. Nam ipsa bonitas Dei secundum se spectata, licet sit altior, & excellentior, quam omnis natura creata, non est absolute supernaturalis. Quia comparata ad Deum est illi connaturalis; comparata vero ad hominē in ratione obiecti diligibilis, & est naturalis homini, vt habenti naturalem quandam connexionem cum Deo, vel propter quandam similitudinem ad illam, quia naturaliter est ad imaginem, & similitudinem Dei, vel multo magis propter essen-

Pars I.

tialem dependentiam à Deo. Ideoque bonitas Dei sic spectata censeatur contenta intra ordinem naturæ, & esse obiectum naturaliter diligibile, vt vero est comunicabilis homini, alijs modis superantibus ordinem naturæ, est supernaturalis quoad connexionem cum natura creata, & consequenter est etiam obiectum excedens in inclinationē, & vires naturæ. Et ideo fieri non potest, vt amor naturalis sit æqualis in adhesionē ad Deum secundum apprehensionem cū supernaturali, vt etiam ex his, quæ c. 6. adduximus, satis comprobatur. Et hinc etiam oriūtur effectus, qui à posteriori ostendunt horum amorū diuersitatem. Nam amor charitatis virtute cōplectitur obseruationem omnium præceptorum non tantū naturalium, sed etiam supernaturalium, quod non habet naturalis amor Dei, solū enim extenditur ad obseruandam Dei voluntatem, quatenus per rationem naturalem manifestatur. Item amor infusus fortior multo est ad resistendum tentationibus, quam naturalis, licet interdum esse possit tam acerba tentatio, vt cum solo communi auxilio gratiæ non possit quis in amore perseverare sine maiori auxilio, iuxta ea, quæ de victoria tentationum lib. 1. diximus, quæ in præsentis, seruata proportionē, applicanda sunt. Deniq; amor Dei ex charitate de se ad perfectiorem vsum virtutum, & ad plura propter Deum operandum inclinatur, quam naturalis amor Dei, vt ex discursu Pauli 1. Cor. 13. colligitur. Quæ omnia proueniunt ex illa altiori consideratione bonitatis Dei, sub qua charitatem excitat, & specificat.

22. Sed instant aliqui, quia homines simplices, & rudes nesciunt has rationes discernere in bonitate Dei, & nihilominus illū diligunt ex perfecto amore charitatis, etiam si bonitatem eius vel simpliciter, & absolute considerent, vel etiam si sub ratione creatoris, vel omnipotentis, aut alia simili naturali ratione illum contemplantur. Respondetur, si hi rudes, & simplices ex pura ratione procedant, sine dubio non diligunt Deum, sicut oportet, etiam si per beneuolentiam, & propter ipsum, eū diligere videantur. Si autem procedant ex fide, quamuis nesciant, illas rationes nostro speculatiuo modo distinguere, nihilominus in vltimo ipso, & exercitio apprehendunt Deum, vt bonum quoddam excellentioris ordinis, & hoc satis est, vt per gratiam ad supernaturalem amorem eleuentur. Simile enim argumentum fieri potest de fide, & modo credendi, sicut oportet, quia simplices non discernunt quomodo nitantur primæ veritati in credendo, & nihilominus vere credunt, sicut oportet, confuso, & simplici modo apprehendendo hanc doctrinam vt diuinam, & à Deo traditam, & illi simpliciter propter Deum assentiendo. Et fere in omnibus operib. infusarū virtutū est hæc doctrina necessaria.

23. Ad tertiam probationem ex ficto illo casu de vidente Deum, & nō habente supernaturale auxilium ad amandum, habere tamen paratum generalē concursum, respondeo, in eo casu hominem illum diligere esse Deum super omnia, non tamen amore charitatis, sed naturali. Vnde si homo ille simul cum visione Dei haberet naturalem scientiam, & cognitionem Dei sufficientem ad amandum ipsum super omnia, ille homo nō haberet, duos actus amoris Dei, sed vnum fortasse accidentaliter magis perfectum, quia forte ratione visionis voluntas operaretur toto conatu, & intentione facilius, quam sine illa. Vel saltem amor ille, qui seclusa visione nō esset necessarius quoad exercitium, ratione visionis necessario exerceretur, nunquam tamen ascenderet ad nobiliorem speciem ex defectu virium potentie naturalis. Et ob eandem causam, etiā si homo ille non haberet aliam cognitionem Dei præter visionem, & amaret Deum toto conatu naturali, eundem tamen actum amoris eliceret, quia solum amaret Deum, vt bonum quoddam connaturale sibi, à quo scilicet, sua natura essentialiter manat, & pēdet. Quia licet sic intueus Deum,

Mm 2

in illis

in illo videat excellentiam illius bonitatis, vt tribus personis communicatam, vel fortasse etiam vt communicabilem hominibus per gratiam altiorib. modis, quam per naturam: nihilominus nō diligit eum in illo casu sub illa excellēti ratione, sed tantum modo suę naturę accommodato, & ipsammet excellentiam illius bonitatis, quasi naturaliter amaret, quatenus est vnū cum ipso Deo, à quo hominis natura essentialiter pendet, quia non potest facultas voluntatis per se altius eleuari, vt declaratum est. Altera difficultas in fine argumentorum proposita in capite sequenti tractabitur.

C A P V T X V.

Vtrum ad amandum Deum auctorem gratiæ amore etiam imperfecto, sit per se necessarium gratiæ supernaturalis auxilium?

Secūda difficultas re-
mittitur.

1. Dubium

Resolutio.
Deum auctorem
gratiæ potest
naturalis a
more diligi.

DVo dubia in hoc titulo insinuantur. Vnum est, vtrum Deus vt auctor gratiæ, vel, quod perinde est, vt obiectum beatificū possit amari aliquo amore naturali sine speciali auxilio gratiæ. Et de hoc nihil noui superest dicendum, ideoq; propter dubium in hoc sensu propositum caput hoc nō institueremus. Ita enim illud definiendum est, sicut in cap. 5. de actu fidei traditum est. Nimirum, posse voluntatem nostram aliquo amore naturali ferri in Deum trinum, & vnū, auctorem gratiæ, &c. Probatur, quia omnes illi, qui habent notitiam aliquam, & credulitatem aliquorum supernaturalium mysteriorum nostrę fidei ad Deum pertinentium, quamuis Catholicam, & infusam fidem non habeant, possunt aliquo modo diligere Deum ita sibi propositū v.g. trinum, & vnū, glorificatorem, & sanctificatorem hominum, vt notum est in hæreticis, & ex parte in Iudæis, quatenus aliqua supernaturalia credunt. At isti sicut non credunt fide supernaturali, ita nec diligūt amore supernaturali, seu charitatis, neq; perfectō, neq; imperfecto. Siue hoc sit, quia ex natura sua amor charitatis necessario supponat fidem infusam, siue quia saltem ex lege Dei nemini datur auxilium supernaturale, ad amandū, nisi prius credat, sicut oportet, quæ amanda sunt, vt significauit Conc. Trid. sess. 6. c. 6. Altero enim ex his modis necessario supponi debet fides ante amorem supernaturalem voluntatis, vt latius probandum est in materia de fide, vbi hac ratione inter alias ostendimus fidei actum esse adultis ad salutem necessarium. Ergo cū hæretici, & Iudæi fidem infusam non habeant, ille amor non potest in eis esse charitatis, sed erit vel naturalis concupiscentiæ, vel etiam si sit beneuolentiæ, erit ex sola cōplacencia naturali in tali obiecto. Vnde iuxta doctrinā traditam talis amor non erit ex motu supernaturali, sed solum circa illud bonum, quod in Deo sic propositum supernaturale apparet, ex naturali propensione ad Deum, vt est auctor naturæ, à quo ipsemet necessario pendet, materialiter versabitur, vt in sequenti puncto magis explicabitur: nam in hoc nihil noui addendum occurrit.

2. Dubium

Resolutio.
Ad omnem amorem Dei ex proprio motu charitatis, id est, propter bonitatem Dei, vt obiectum beatificū, necessaria sit gratia, etiā si amor ille in suo ordine imperfectus sit. Quod pendet ex alia questione, scilicet, an ille amor in sua entitate naturalis, vel supernaturalis sit. Nam profecto, si est naturalis, nō solum haberi poterit sine auxilio supernaturalis ordinis, verum et aliquando sine quolibet speciali auxilio gratiæ. Quia imperfectus amor esse potest cū peccato, non solum habituali, sed et actuali, sicut possunt esse simul absolutū velle, & conditionatū nolle eiusdem obiecti, i. e. volo, & nollem: nam sic homo, cum peccat, absolute vult id, in quo scit offendere Deum, dolereque, quod illi actui coniuncta sit auersio à Deo. In tali ergo amore non est magna illa difficultas extrinseca, quę prouenire solet ex victoria retationum,

& ex absoluto proposito non offendendi Deum, vt placendi illi in omnibus; ergo ex hac parte non est necessaria gratia specialis ordinis naturalis ad illum actum. Vnde si aliunde actus ille in sua entitate naturalis sit, nō erit ad illum necessarium auxilium supernaturale ordinis; ergo nullum auxilium gratiæ erit simpliciter necessarium ad talem actum. Tota ergo questio ad entitatem actus reuocatur, sit ne supernaturalis ordinis, vel naturalis.

Quod ergo amor ille supernaturalis non sit, probari potest primò, quia ille amor non est, sicut oportet ad iustitiam obtinendam; ergo ad illum non est per se, ac intrinsece necessaria gratia; ergo non est super omnia, nec ex toto corde, & tota anima. Consequentia verò prima probatur, quia Concilia solum requirunt illum genus gratiæ ad amandum, quando amor est, sicut oportet: altera item illatio nota est, quia ille amor necessitatis gratiæ solum inuenitur in actibus supernaturalibus in substantia, & entitate sua, vt supra probatum est. Secūdo argumentari possumus, quia ille amor potest esse in peccatore, vt probatum est, etiam de peccante actu; est autem id multo certius de peccatore in habitu; ergo talis amor nō est in specie sua amor charitatis, quia in peccatore nulla est charitas infusa, nec perfecta, nec imperfecta, sicut in hæretico nulla est fides infusa, nec perfecta, nec imperfecta; ergo ille amor in se non est supernaturalis, nec infusus. Quia nulla est virtus infusa, ad quā pertineat, non enim ad spem, cū sit amor beneuolentiæ, vt supponitur, nec ad charitatem, vt probatum est: nulla est autem alia virtus infusa, quæ Deum ipsum diligendo attingat. Tertium argumentum sit, quia fidelis peccator non aliter diligit Deum hoc imperfecto amore, quā hæreticus possit illum diligere: sed in hæretico ille actus non est supernaturalis, nec charitatis: ergo nec in fidei. Et hanc sententiam aliqui Moderni veram esse existimant.

Nihilominus dicendum in primis censeo, omnem amorem Dei vt obiecti beatifici, id est, propter bonitatem in illo sic concepto spectatam, esse amorem per se infusum, & in sua specie, & substantia supernaturalem, ac proinde esse actum charitatis. Hanc assertionem optimè confirmat Bellarm. libr. 6. de Grat. & liber. arbit. cap. 7. & eandem supponit lib. 2. de Penitent. cap. 14. ad 5. & 6. obiectionem. Et similiter Vega lib. 6. in Trident. cap. 28. apertè supponit, posse esse dilectionem supernaturalem, quæ non fiat, nisi per illuminationem, & inspirationem Spiritus S. & non sit super omnia. Est deniq; assertio consentanea Scripturis, easque exponenti Augustino, & Concilijs, quæ illius doctrinam mutuata sunt. Augustinus lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 17. loquens de Petro, quando in nocte coenæ dixit, Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, dicit, habuisse tunc paruum charitatem, id est, imperfectum amorem, quem proinde negat potuisse haberi sine gratia. Vbi licet dubitari possit, quo sensu appellauerit paruum charitatem Petri, an scilicet, quia tunc non erat super omnia, vel quia erat remissa, ac proinde non satis firma, & constans, nihilominus satis significat, quemcunque talem amorem, etiam minimum, esse ex charitate, & infusum à Spiritu sancto. Vnde in cap. 18. ponderans verba Ioann. 1. canonic. cap. 4. Diligamus inuicem, quia charitas ex Deo est. Sine fructu, ait, admoneretur (vtique homo) perfectè diligere, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret, vnde, quod iubebatur implere, Sētiens omne in choationem dilectionis Christianæ esse donum Dei. Quod clarè etiam docuit libro secundo, contra duas epistolas Pelagianor. cap. 9. vbi dicit, initium charitatis esse ex gratia, & licet per, initium, possit intelligi quodlibet opus honestum propter Deum factū, quo homo incipit ad charitatem disponi; à fortiori inde potest sumi argumentum, quia inter illa opera potest quilibet actus charitatis, licet imperfectus computari: specialiter vero loquitur Augustinus de initio

Parti negati-
illum actum
esse superna-
turalem.
Probatur 1.
Probatur 2.
candela.

Probatur 3.
candela.

Probatur 4.

Assertio va-
ta affirmari

Probatur 5.
ex scriptu-
ra.

1a.

2a.

3a.

4a.

5a.

6a.

7a.

8a.

9a.

10a.

11a.

12a.